



B. 209.

RECOLENDAM

MELCH. CASP. WINCKLERI

PRÆNOBILISSIMI VIRI

M E M O R I A M

A. D. XIII. IULII MDCCCII.

HOR. VIII. ANTEMER

INDEXIT

AC

AD ORATIONEM BENEVOLE AUDIENDAM

OBSERUANTISSIME INUITAUIT

M. Aug. Frid. Wilh. Rudolph.

Gymn. Zitt. Director,

---

Part. XII.

de iuv. ad v. ac. mat.

seu

de finibus doctrinæ scholasticæ regundis.

---

ZITTAUIÆ TYPIS FRANCKIANIS.

**H**aec tenus de mentis ipsius conformatione dictum est, ut apparet, quid appetere, cui rei studere et quomodo affectus esse debeat, qui ad academica studia vere maturus iudicari possit. Nunc veniendum est ad eas res, quarum scientiam et facultatem in academias deferre studiosi debent. Quemadmodum igitur in omni ista disputatione quereretur, quid consecuti esse debeat adolescentes, ut velint recte versari in studiis et ad laudabilia aspirare; sic deinceps disputandum est, quid debeat scire et posse, ut id, quod recte cupiunt, recte et facile affequantur; quumque ad studium discendi et scientiae copiosae, explicatae et verae amorem omnia ista referrentur: nunc de rebus dicendum est, quibus illud studium non modo in scholis excitetur, sed etiam in academiis ac in omni vita reliqua audiueretur et alatur.

Sed haec disputationum et opinionum diversitas, et enunciacionum ambiguitas et diversa magnorum virorum auctoritas urgunt et in contrarias sententias distrahunt. Qua formula enim scholasticæ et academicæ institutionis fines regundi sint, tam parum adhuc inter eruditos constat, ut non modo in pluribus scriptoribus inter se collatis, sed in eodem quoque scriptore haud mediocris inconsistancia deprehendatur.

Sunt, qui de tali norma ne cogitasse quidem videantur; qui, quidquid opinantibus visum sit, scholarum magistris partim leniter suadeant, partim grauiter præcipiant et, quod talia non doceantur, in scholarum vitis numerent. De his non est, cur multa dicam. Vaga enim et incerta utilitatis cogitatione moueri videntur, ab hoc genere disputationis propositus se iungenda.

Alii normam putant utilitatem ad vitam, quæ in scientia quidem estimanda non vnicet, tum tamen maxime spectanda sit, quum de loco cuique scientie in scholis concedendo queratur; nec de eo loquuntur vsu, qui

qui ex ipso discendi studio nascatur, ac in mentis cultura cernatur; sed de eo, quem *rei scientia* hominum vita afferat. Quam sententiam, quum ipsa sibi audientiam faciat, alii vel sine demonstratione admittent, alii e fine dissentibus proposito, alii e rerum discendarum multitudine, alii fortasse aliunde confirmabunt. Quamquam autem utilitati ad vitam maxime consulendum est: ad constituendam tamen doctrinam scholasticam non videtur adhibenda. Verendum est enim, ne ratio utilitatis, quæ multos in vita ad turpia trahit, nos in hac disputatione certe ad inepta ducat. Utilitatis rationem enim recte habere solent, qui suadent, et dissuadent, ac mentes hominum impellere et retrahere conantur; sed qui recte iudicare vult, non debet moveri utilitatis illecebris, ut veritati et honestati eam anteponat, rectamque rationem et ordinem captatione utilium peruerat. Itaque, si quam scientiam intelleximus esse utilem aut ceteris utiliorem; commendemus eam hominibus et necessitatis et utilitatis expositione; aut, si quam rem in scholis tractandam esse idoneis argumentis intelleximus, ut homines tractari eam patiantur, utilitatis demonstratione efficiamus: sed propter hanc utilitatem *solan* in scholas nil admittamus. In scholis enim non possunt doceri omnia, quæ sunt utilia ad vitam, sed multa eorum et institutioni subsequenti, et viui vita et suo cuiusque studio non modo possunt relinqui et commendari, verum etiam debent. Id in scholis agendum est maxime, ut, quam quisque scientiam sibi intellexit utilem, eam et velit addiscere, et possit. Quod si autem scholastica studia utilitate metimur: consentaneum est, ut utilissima quæque præ caeteris tractemus; quæ res omnem docendi ordinem peruerteret; idque eo magis, quod formula ipsa vaga est, ac ad interpretationem illiberalem dicit. Utilia enim iudicari non possunt, nisi cognito fine, ad quem consequendum ea faciant. Iam vero vita ipsa hac in re finis esse non potest, sed id, quod agimus in vita et appetimus; quod, quam sit multiplex ac varium, omnes sciunt. Verum tamen vitam tanquam finem discendi cogitantes ad cognitionem victus et cultus et opum vltro feruntur,

ac in harum rerum necessariarum cogitatione et appetitione facile acquiescent. Quodsi igitur ea tantum in scholis tractanda sunt, quibus aut sibi aut aliis quisque merere possit: non modo illiberalis est ea ratio, ac præteriorum quorundam seculorum obscuritati, quam nostræ ætatis luci accommodator; sed etiam ordinem et instituta ciuitatum peruerit; nam, qui arte quadam viætum mereri cupiunt, artem hanc suam meritoriam discere solent, posteaquam scholas reliquerunt. Sin ad vitam ea quoque utilia censemus, quæ ad humanitatem, elegantiam, iudicandi facultatem et alia huiusmodi pertinent: omnis rerum ad vitam utilium copia non poterit amplius scholastici temporis angustia comprehendi. Nil est enim tam remotum et abditum, quin ad vitam transferri ac in vita adhiberi possit ab eo, qui didicerit ac ve- lit. Ex utilitate igitur, siue omnino spectata, siue ad vitam relata, nec quid agendum sit in scholis, nec quid sit omittendum certo quodam indicio intel- ligitur. Nam non omnia ad vitam utilia in scholas admitti possunt; et ad- mittenda sunt alia, quæ multis inutilia videntur.

Sunt, qui studia doctris omnibus communia, in scholis colenda cen- feant; quæ sententia, si infinite dicatur, haud dubie vera ac scholarum ra- tionibus accommodata est. Quum enim singula doctorum genera in scholis haud segregentur: consentaneum est, ea tractare, quæ vniuersis prosunt, vt, communi doctrina in scholis accepta, ad sui generis doctores in acade- mia quisque discedat. Hæc tamen concinniora sunt, quam veriora. Ete- nime si cuncti adsunt: cunctis prodesse, ac omnes apte preparare debemus; hoc sequitur necessario; illud ita demum, si omnes discipulos ad omnia, quæ docentur, cogimus; nec scholas ita instituimus, vt a lectionibus parum cuique aptis vacatio concedi iis possit, qui tempus et studia in alia re utilius sint collocaturi. Sed vt cunque hæc res iudicetur, formula ista ad finem nunc nobis propositum minime apta est. Neque enim, quid potissimum in scholis tractandum sit, quærimus, sed quid omnino tractandum. Quodsi igitur

igitur non studia communia, sed *omnia* studia communia scholis vindicamus: incerta et inepta fiunt omnia, ac omnis scholarum et academiarum ratio confunditur. Ea lege enim omnia fere, quæ philosophiæ Professores in academiis docent, ex academiis in scholas transferri deberent; quod, quam sit ineptum, statim apparet, siue ætatem dissentium, siue numerum docentium, siue opes ad docenda ista necessarias, seu denique methodum cuique rei aptissimam intueamur; nec innotuit mihi quisquam, qui talia commendaret. Communia enim studia scholis præcipientes eadem quoque academiis relinquunt, quo admisso communitas studiorum non poterit scholas ab academiis secernere; sed alia formula opus nobis est, qua aut delectum communium studiorum, aut varia eorum spatia regamus. Sin communione studiorum hac in causa ita vtamur, vt omnia in scholis tractanda e numero communium esse oportere dicamus: (qua in sententia me quoque fuisse non dissimulo) aut inconstantia peccare, aut noxæ esse haud paucis debemus. Quum enim, nostra præsertim ætate, effici non possit, vt ebraica lingua cuius peritia Theologi carere non possunt, ad Jureconsultorum aut Medicorum studia videatur pertinere: necesse profecto est, vt aut in formulam nostram peccemus, aut cum ebræa lingua etiam theologiae studiosos deseramus, quorum illud a constantia remotum, hoc cum damno coniunctum est: id quod postea rectius, quam hoc loco, differitur.

Verissimam equidem puto eorum sententiam, qui veterum Græcorum et Romanorum literaturæ in scholis ita primatum tribuant, vt eam, et si non vnicce, præcipue tamen in iis tractandam præcipiant. Quamuis autem hoc præceptum quam maxime probem; certum tamen discrimen scholarum et academiarum in eo haud video. Etenim, si eam rem primariam vocamus, quæ præ cæteris, et magis quam cæteræ, tractanda est: terminus plane nullus ponitur, nec apparet, quot et quæ doctrinae præter istam literaturam in scholas recipiendæ sint; ac isti quidem legi ii quoque obtempe-

rarunt, si qui, ingenti rerum copia in scholas congregata, in angustum quendam locum veterem literaturam coegerint, dummodo haec angustia non tan ta sit, quanta est locorum reliquis rebus singulis concessorum; qui enim, quum reliquis doctrinis binas horas dicaret, veteri literaturae ternas aut quater nas dedit, ex ista quidem lege non poterit recte accusari. Sin primarium id vocamus, ad quod referenda sunt reliqua omnia, propter quod cæ tera tractanda sunt: ista lege perlata aut eiici e scholis multa debent, quæ sunt consensu omnium, ac ipsa ratione et necessitate vr gente, recepta, aut alia sunt recipienda, quæ nemo recipienda putabit. Mathesis enim et linguae recentiores cum veteri literatura vinculo copulantur tam laxo, vt, ad tuendam constantiam, aut has expellere, aut multa alia etiam propiora recipere debeamus; quorum neutrum fieri potest, nisi sublatu eo, quod scholæ semper suscepserunt et pollicitæ sunt, vt omne genus literatorum apte ad academica studia præparent. Deinde qui ab hoc principio proficiuntur, non modo urbanitatem et humanitatem eorum, qui, quum literas veteres rationibus impugnare aut nolint aut nequeant, defensores earum pedantorum nomine, aliisque huiusmodi ornamenti mastare non dubitant, perfere, sed vereri quoque debent, ne scholæ suæ mox omnino deserantur. Ingeniosi homines enim et salutis ciuitatum appetentissimi id viderunt, quod post renatas literas fortasse nemo, homines munera in ciuitatibus capessentes a doctis hominibus in ipsa institutione esse segregandos. Itaque, si quando istæ scholæ iuris peritorum et religionis doctorum fuerint constituta, in quibus nil magis cauetur, quam ne discat quisquam, quæ non quotidie habeat in usu: verendum est, ne doctorum scholæ ad explorandi et iudicandi facultatem maxime tendentes deserantur, ac eo se homines studiosi vel sponte sua conuertant, vbi, quam primum fieri id potest, ad agendum adducuntur; nec in tali re publica iudicandi facultatem et subtilitatem admodum desiderabunt. Posteaquam enim, perceptis agendi regulis, ad

gubernacula ciuitatum admoti fuerint, quum imperio polleant, facile poterunt garrulos homines, aut de regula ipsa aut de usu regulæ dubitare et disputare ausos, seuera disciplina, ac vinculis et carcere coercere. Quocirca, veteri literaturæ in Gymnasiis atque Lyceis plurimum esse tribuendum, non sumendum est, tanquam principium, vnde harum scholarum institutio ducatur; sed ex alio quodam principio certiori ducendum est.

Alius vir doctus, quum firmius id teneret, quod sane tenendum est, alumnos esse in scholis ad academica studia præparandos, ita disputauit, vt mentis ad attentionem, intelligendi vim et memorie præstantiam excitatio et conformatio primarius videatur scholarum finis esse, in quibus quæque res et scientia ita et eligenda et tractanda sit, vt ad istam mentis culturam quæque plurimum conferat. Quam sententiam subtilem et veram minime improbo; quin ad constituta ea, quæ sint in scholis tractanda, adhiberi possit, ipsius auctoris confessione permotus, dubito. Quum enim scholis fines etiam relinqueret ab instituto suo alienos, idque identidem inculcaret; quumque in ipsa præparatione ad academiam, quam vnice fecutus est, non tam academica studia omnino, quam intelligendam et percipiendam Professorum institutionem, quæ pars est istorum studiorum, spectaret; omnemque disputationem ad methodum potius, quam ad res tractandas conuerteret: inepte quidem disputationem, si eius decreta impugnarem; sed eadem inepte sequerer, si ad rem alienam ea transferrem. Id enim, quod nunc agimus quam maxime, in iis ambiguum et incertum manet, vt, quæ sit ista scientia in academias afferenda, et ad mentis culturam in scholis adhibenda e certo quodam decreto cognoscatur. Vna formula, et ea quidem certa et definita quaerenda est, quæ iudicium non ad sensum quendam ambiguius vocabulis remittat, sed certo et constanti iudicio facem præferat.

Cuius formulæ præstantiam, quum ne ea quidem attingant, quarum quæque per se veram esse cognouimus: non est cur eas multis verbis disputem, quæ ne veritate quidem commendantur, et auctoris suis, quum aliud agerent, ad contextum orationis quam ad generalem præceptionem aptiores exciderunt.

Vt autem certa via ad eiusmodi normam perueniamus, docti hominis vim ad professionem animo concipere, eaque rite comprehensa, quid ad instruendum doctum pertineat, investigare debemus; qua in causa non quid descendunt sit cuique eruditorum, aut singulis eorum generibus, spectandum est; sed quid omnes et singuli docen-

*Docendi sunt.* Quæ enim ingenium vel mediocre per se ac sine doctore facile assequitur, et si sunt scitu maxime necessaria: tamen non est, cur necessario doceantur. Tali quæstione autem colligitur omnis doctorum hominum institutio, in scholis partim, partim in academis absoluenda, quam copiam deinde in scholas ac academias ita distribuere debemus, ut cuique generi id tribuamus, quod *aptissime* in eo tractabatur. Quam vim habeat illud *aptissime* e dissentibus rationibus, iudicandum est. Hinc apparet, quæ sit in utroque genere necessaria methodus et disciplina. Vniuersitates literarum enim acroamaticam methodum et disciplinam liberiore recte et necessario sibi vindicant; schola vero methodum Socrati-  
cam et disciplinam diligenter. Consentaneum est igitur, in scholis ad ista studia praeparantibus ea docenda esse, quæ adolescens arbitrio suo relictus tenere debet, ut perpetua præceptorum oratione recte usus, veram ac utilem eruditionem consequatur. Cuius gene-  
ris, quum duo sint, nempe ea, quæ ad percipiendam academicæ doctoris institutionem requiruntur; deinde ea, quæ ex acroamatica methodo vel optima nemo facile percipit recte, nisi mentem iis tractandis adsuetam ac probabilem in iis facultatem attulerit: quæ utroque argumento commendantur, primaria sunt scholarum materia; quæ al-  
tero solo, secundaria.

Dixi de scholis et Gymnasiis, quatenus sunt doctorum institutioni destina-  
ta. Discipuli enim reliqui, academias haud adituri, partim plura postulant, partim pauciora; vt, et si eodem gymnasio, eadem tamen præceptionis summa comprehendendi non possint. Quos igitur usus in multis coniungi, eodemque in loco simul doceri patitur, eos ratio et ars cogitando sciungere debet, ut quid cuique generi conductat et tribuendum sit, seorsum quaeratur; quam sciunctionem, qui e libris in vitam transferunt, nec subtilitati, quam libri postulant, nec utilitati et commodis, quæ in vita petuntur et peti debent, satis faciunt. Qua de re alio loco dicendum est, et dictum est quoque ab aliis.

Memoriam autem *WINCKLERIANAM* ita recolam, ut quantum inter sit rei publicae doctos publice priuatimque adiuuari, oratione demonstrem. Cui, ut rei publicae et sacrorum *Antistites perillustres*, *Generofissimi*, *Magnifici*, *Amplissimi* & plurimum *Venerandi*, ac reliqui eruditionis partim doctores, partim fautores interesse velint, ea qua pars est obseruantia rogaui.

P. P. Zittauiz Dom. IV, post F. Trin, MDCCCLII.

Gf 4264.8

ULB Halle

002 160 943


3



sb


4018

n. C.



B.I.G.

Farbkarte #13



LENDAM

SP. WINCKLERI

BILISSIMI VIRI

O R I A M

IULII MDCCCII.

VIII. ANTEMER

DIXIT

AC

BENEUOLE AUDIENDAM

NTISSIME INUITAUT

ad. Wilh. Rudolph.

Zitt. Director.

Part. XII,

ad v. ac. mat.

seu

nae scholasticæ regundis.

TYPIS FRANCKIANIS.

16  
17